

Nun M. Herzogly Briesen d. 10 Februar 1806.

43

DE
**INFLAMMATIONE
SANGVINEA SIVE VERA
PATHOLOGICE CONSIDERATA**

BIE IV. AVGVSTI CICCI CCLXVII.

PRO CAPESSENDO

IN ARTE SALVTARI

DOCTORIS GRADV

P V B L I C E D I S S E R E T

AVGVSTVS CAROLVS KESSLER

MAGDEBURGENSIS.



HALAE MAGDEBURGICAE

STANNO CVRTIANO.



INFLAMMATIONE
STINGAINEA SIVE VERRA
PATHOLOGIC CONSIDERATA

DIE IN AUGUSTI ODISCEMBAIT
PRO CERTAVIDO
IN VENIS SYFALIA
DOCTORIS GRAADA
PARVUS DISEGNERAT
AUGUSTAS CAROLAS KESSEIER
MAMMALOGIA
HALAE MAGDEBVRGICAE
STATV CAROLIN

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO.

LONGE MERITISSIMO.

D O M I N O .

D.CHRISTIANO.ANDREAE.
COTHENIO.

AVGVSTISSIMO. BORVSS. REGI. A. CONSILIIS. SANCTIORIBVS.

EIVSDEM. ARCHIATRO. PRIMARIO. ET. EXERCITVVM. PRAETORIIQUE.

MEDICO. SVPREMO. ACAD. REG. BEROL. PHYS. CLASSIS. NEC. NON.

COLLEG. MED. CHIRVRG. PRAESIDI. ATQVE. DIRECTORI. SVMML

COLLEG. QVOD. SANITATI. PVBLICAE. INVIGILAT. ET.

MEDICORVM. CONSILII. DECANO.

MAECENATI. PATRONO. FAVTORI.

SUMMA OBSERVANTIA COLENDO

HOC

IN AVGVRALE. SPECIMEN QVALECVNQUE

SUBMISSE DEDICAT

AVGVSTVS CAROLVS KESSLER.





DE
INFLAMMATIONE SANGVINEA
SIVE VERA
PATHOLOGICE CONSIDERATA.



§. I.

Si vlla rerum Scientia multis in hunc vsque diem premitur dubiis ac difficultatibus: erit sane Scientia artis medicae. Antiqui artem medicam delineaturi praegrandem scipionem infinitis nodis signatum, ante Aesculapii templum collocabant. Non ignorabant enim quantis tenebris inuoluta sit haec diuina Scientia, et quot erroribus expositi sint eius antistites. Discussit equidem Hippocrates labore plus quam

Herculeo aliquo modo has tenebras. Idem fecere reliqui eius vestigia prementes viri, paullo accuratius abscondita naturae introspicientes, et nudam nobis detegentes veritatem. Verum nondum ex omni parte nuda apparuit veritas. Infinitae adhuc supersunt difficultates, et dubia; ut mirum proinde non sit, recentissimis quoque temporibus ingentes inter Medicos ortas esse rixas et controversias. In eo autem potissimum dolenda sunt fata Medicorum, quod saepe ipsam veritatem tenebris oboluere et pessundare nitantur. Ecquis enim est, qui vel levi solum modo brachio artem medicam attigit, quem fugeret, in quam varias abierint recentiores sententias. Mirum inde non est, quod in tanta Auctorum farragine vix paucos invenias, quorum sententia de *Inflammatione* albo comprobari possit calculo. Ad finem itaque perductis studiis meis Academicis more sancito de themate quodam cogitans, meam de *Inflammatione Sanginea* seu vera, sententiam explicare, et eruditorum iudicio submittere apud animum constitui.

§. II.

Veneranda Antiquitas φλεγμων, latinis dictam *inflammationem* omnem ardorem cum tumore, cui inest calor inflammans et renixus et pulsus vna ac coniunctus rubor appellavit.

§. III.

§. III.

Immortali Harveo in Scenam prodeunte, circuloque Sanguinis ab eo detecto, primus **BELLINVS** *Inflammationem ex Stagnatione Sanguinis rubri in vasis minimis arteriosis a praegressa obstructione producta, fieri demonstravit.* Quam Theoriam multo cum studio atque ingenio vterius excoluit vir tempiter-na memoria dignus *Herm. BOERHAVE*, atque ingeniose admodum inflammationis symptomata ex hac causa deducens, plurimos ex nuperis Medicos celeberrimos sibi adjunxit.

§. IV.

Ex cuius lacunis riuiulos suos celebres aeui nostri medici deriuantur, inter quos omni pietatis cultu colendi praeceptores mei Illustris nempe **EBERHARDVS** et **Excellentissimus NIETZKI** non infimum sibi vindicant locum, dum vberiorem nobis inflammationis tradenter theoriam, asserti veritatem ex certis principiis demonstrantes. Non defunt tamen, qui, inflammationem esse extravasationem sanguinis in telam cellulofam cum febre coniunctam, affirmant, quibus obuiam eentes nostram suppeditabimus sententiam ex quo tuto colligere licet, eos a veritatis tramite valde aberrasse.

§. V.

§. V.

Sed ne a tramite discedere videar, definitionem inflammationis, quae optima mihi videtur, tradam, est enim inflammatio sanguinea seu vera, nil aliud, quam distensio vasorum sanguiferorum arteriosorum perdurans cum maiori eorum motu pulsatorio coniuncta. Ea definitio bene quoque respondet definitionibus ab Illustribus meis praeceptoribus traditis.

§. VI.

Quemadmodum causae morborum in proximam et remotam a Medicis dividuntur, ita et nos eandem methodum servando diuidimus causas Inflammationis in causam *proximam*, quae immediate per se producere potest inflammationem, et in *remotas*, quae solummodo producunt causam ipsam proximam.

§. VII.

Quod ad causam proximam inflammationis attinet, ea consistit in obstructione vasorum sanguiferorum arteriosorum. Hoc verum esse, sequentia probabunt. Quidquid rationem proximam motus pulsatorii et distensionis perdurantis in se continet, illud erit inflammationis causa proxima. Nunc vero obstructio, a sanguine in vasis arteriosis facta, rationem motus pulsatorii et

disten-

distensionis perdurantis in se continet, ergo et erit causa proxima inflammationis. Sequentia minorem illustrabunt. Constat ex physiologicis, pulsum dependere a contractione fibrarum muscularium in arteriis, et impedimento, quod vndae subsequenti ponit vndam antecedens ob figuram vasis conicam. Vbi ergo maior irritatio et maius impedimentum, ibi maior pulsus; quod vtrumque adest in obstructione. Posterior per se patet. Maior vero irritatio producitur ab obstructione sequenti modo. Ob resistentiam sanguis partim fortius ad fibras musculares allidit, ergo fortior irritatio et proportionata contractio, partim vas distenditur, adeoque puncta contactus augentur; partim nervi tenduntur, adeoque sensibiliores redduntur, ynde maior fibrae muscularis contractio pendet. Ex his patet, obstructionem causam esse proximam distensionis vasorum et maioris motus pulsatorii, adeoque inflammationis ipsius.

§. VIII.

Ordinis ratio poscit, ut causa proxima explicata, in causas quoque remotas inquiramus, inter quas refero spissitudinem sanguinis. Sanguis enim, ob defectum partium aquosarum in vasis arteriosis stagnans, in illis obstructionem producit.

B

§. IX.

§. IX.

Sed et vasorum certi gradus debilitas pro causa habenda est remota; si nempe vasorum elasticitas fuerit imminuta, robur eorum quoque imminuitur, quod ad sanguinem propellendum erat necessarium, hinc obstructio. Quod ad rigiditatem vasorum attinet, quae etiam, si certi gradus est, ad causas inflammationis referunt remotas, plane idem valebit, quod de debilitate. Posita enim rigiditate vasis, ponitur elasticitas imminuta, hinc stasis et obstructio.

§. X.

Constrictio vel spasmus vasorum perdurans causa inflammationis remota quoque esse potest. Diameter enim vasorum et per constrictiōnē et per spasmū praecipiente Pathologia imminuitur, quo imminuto globuli sanguinei arteriam percurrentes stagnabunt, vasque obstruant. De compressione idem valebit, quod de constrictione vel spasmo dictum fuit, quia et compressione lumen vasorum imminuitur.

§. XI.

Docent pericula anatomica, nonnullas arterias minimas sanguiferas terminari in vasa minorum generum, vel quae sanguinem non vehunt, si itaque sanguis in haecce vasa intrudatur,

tur, errorem adesse loci dicimus. Hic quoque error loci causa inflammationis esse potest; quod hoc possibile sit, ex sequentibus probabo. Si adest debilitas in hisce vasis, sanguinem in statu naturali non vehentibus respectu vis, qua sanguis in arteriis sanguiferis vehitur, vel si talis dilatatio horum vasorum minorum generum adest, ut lumen eorundem respondeat diametro globuli sanguinei, transitus hisce globulis conceditur; hinc error loci necessario sequetur. Nunc vero sanguis in vasa minorum generum impulsus stagnare et ita obstructionem procreare debet. Hinc et error loci causa inflammationis interna remota esse debet.

§. XII.

Ita et demum extravasatio sanguinis erit causa remota interna inflammationis, si nempe a causa quadam interna fuit producta, e. g. e corrosione vasorum ab acrimonia in sanguine haerente orta. Nam ex tali acrimonia corrosio tunicarum vasorum, et hinc extravasatio necessaria erit, ut hoc patet ex pulchritudine in morbis exanthematicis occurrentibus. Idem contingere potest propter dilatationem finium vasorum, quae se in celulosem aperiunt.

B 2

VIX

§. XIII.

Quod vero haec effusio sanguinis in cellulosa obstructio-
nem creare possit ex sequentibus patebit. Sanguis iste extra-
vasatus in quiete permanet ac quiescentem certo quodam tem-
poris spatio coagulari experientia est probatum, coagulatus ve-
ro, vasa, hanc telae cellulose partem perreptantia, compri-
mit, indeque obstructionem producit (per §. X.) secundo etiam
statim obstruit, nam necesse est, istam vasis aperturani, quea
extravasatio est facta in tela cellulosa adesse debere, si adest, coa-
gulatus sanguis per se hancce aperturam obstruit.

Schol. Hic est modus, quo extravasatio sanguinis inflammationem produce-
re valer, et sic iure me dixisse credo, hos valde aberrare a veritatis tra-
mite, qui eam pro causa agnoscunt inflammationis proxima (vid. §. 4.)
Objici quidem mihi posset docere experientiam sanguinis extravasatio-
nem in tela cellulosa in omni fere inflammatione grauiori adesse, et ex
his concludi licere, eam in nonnullis inflammationibus causam esse debe-
re proximam; sed hancce conclusionem esse falsam, sequent proba-
bunt. Distensio adest vasorum in omni inflammatione. (per §. VII.)
Cum vero ad certum tantum gradum quodicunque vas expandi possit
pater vasa ultra hunc modum expansum rupturam sequi, indeque san-
guinem extravasatum secedere in telam cellulosam. Idem quoque
fieri potest per poros arteriae in cellulofam hiantes per quos lympha in
cellulofam telam sub statu naturali transit. His nempe poris ampliatis
sanguis transibit in cellulofam. Pater proinde extravasatum Sanguinem
non tam causam esse inflammationis, quam eiusdem effectum.

§. XIV.

Nunc pertractatis causis remotis *internis* inflammationis, ad eius *externas* accedam. Ad has referri potest extravasatio Sanguinis ex causa externa orta, ut per vulnera ac per alia admissa, haec producere potest inflammationem eodem modo quam extravasatio a causa interna orta. (per §. anteced.) Vulnerus duplici ex ratione obstructionem creare potest. Si enim primo Sanguis e vasis disruptis non sufficiente copia e corpore eliminetur, secedit in cellulosa, comprimit vasa, supra exposito modo et inflammationem adeo producit. Deinde irritatio a vulnere orta, affluxum Sanguinis augebit, hoc supra modum aucto vasa expanduntur, obstruuntur, et inflammatio inde oritur.

§. XV.

Compressionem vasorum perdurantem ex causa externa ortam obstructionem vasorum concomitari oportet et quidem ex principiis §. X. adductis.

§. XVI.

Causis inflammationis nunc expositis, ad symptomatum huius morbi explicationem progrediar. Diuidi autem ea de-

bent in essentialia, in quavis inflammatione occurrentia et in accidentalia, in quibusdam inflammationibus tantum obvia.

§. XVII.

Ad essentialia referri possunt tumor, rubor, dolor, calor et durities. Haec symptomata cum nullo alio modo possint explicari nisi ex obstructione vasorum, iterum ex his concludere licet, inflammationis causam proximam consistere in obstruktione vasorum.

§. XVIII.

Tumoris causa duplex est, latet enim vel in vasis vel in tela cellulosa. Vasa dupli modo tument. Inflammata enim atque ab ipso stagnante Sanguine infarcta vasa tument, dum vicordis impactus vasa magis magisque distendit, ita, ut eorumdem latera magis a se inuicem recedant, et lumen augeatur. Deinde ab irritatione sub inflammatione oritur affluxus sanguinis versus partem irritatam, congestio haec in vasis non obstructis distensionem producit. Vulgatissima nempe experientia animaduertimus, ab illapsis acribus albugineam oculi tunicam rubere, a sanguinis affluxu in vasis non obstructis. Patet itaque, ab irritatione sub inflammatione eodem modo auctio sanguinis affluxu minima sanguinis vascula distendi, quod si in

nota-

notabili vasorum copia fiat, tumor inde oriatur necesse est. Tandem ipsa cellulosa tunica ab affluxu humorum distenditur et tumorem auget. Licet enim ingressus sanguinis in cellulosam non efficiat proximam inflammationis causam, adesse tamen simul potest.

§. XIX.

Rubor ordinarie dependet a distensione vasorum. Quo magis enim vasa distenduntur, eo tenuiores sunt membranae, vasa constituentes; quo tenuiores vero sunt membranae, eo melius apparebit color fluidi vas replentis. Horum veritatem quotidiana quoque docet experientia. Obseruamus enim in plethoricis iisque, qui maiorem exercuerunt corporis motum, quod facies eorum admodum rubeat, causa vero nulla alia est, quam distensio vasorum. Haec vero distensio vasorum locum habet tum in obstructis vasis, tum in vasis a sola congestione sanguinis tumentibus. Si cum inflammatione extravasatio sanguinis simul contingit in tela cellulosa, utique rubor ab eadem augeri potest, licet haec non necessario requiratur. Rubores nam a frigore, ab animi pathematibus manifesto non dependet a sanguine extravasato, sed a sola congestione, indeque vasorum facta distensione.

imp

§. XX.

§. XX.

Dolor, vt symptoma inflammationis tertium, ortum duicit ex distensione vasorum, et eo, quod in obstructo vase haeret. Si nempe distenduntur, neruos, vasa perreptantes, quoque tendi necesse erit; talem vero tensionem dolorem efficere, docet Pathologia. Porro quoque materia vas obstruens, dolorem generare potest: Notum enim est ex obseruationibus, materiam vas obstruentem, nil aliud esse, quam impactum sanguinem; porro constat, sanguinis partes salinas magis se euoluere, dum sanguis quiescit. Hae itaque partes salinae per quietem euolatae, neruos irritando dolorem producere valent. Minus recte dolor hic ab expansione cellulose tunicae explicatur, cum in aliis tumoribus cellulose nullus adsit dolor. Certiores enim obseruationibus facti sumus, nullum adesse in hydrope dolorem, et si tumor, ab extravasatione liquidi in telam cellulosam ortus, adsit. Si itaque dolor sub inflammatione dependeret ab extravasato sanguine, necessario adesse deberet in hydrope, ob extravasatum serum intra cellulosam stagnans. Adest quidem tandem et in hydrope dolor, sed sub eius summo gradu, dum nempe compressio vasorum sit, et hinc inflammatio producitur, (per §. X. vid. celeberr. Nietzki Elem. Patholog. pag. 335.)

qui

qui tamen dolor ab inflammatione, non ab extrausatione
seri dependet.

§. XXI.

Liquet ex obseruationibus, omnem calorem corporis de-
pendere a frictione sanguinis partium inter se et ad latera vas-
orum, hanc frictionem vero dependere a motu sanguinis et va-
forum, si itaque motus adeat maior, frictio et inde calor maior
esse debet. Nunc vero (p. §. VII.) sub distensione vasorum in-
flammatoria, adeat maior motus: ergo dependet calor auctus a
distensione vasorum inflammatoria.

§. XXII.

Sub omni vasorum distensione durities debet adesse, quia
vasa tactu comprimi facile non possunt, et hoc ob reactionem
materiae obstruentis et fluidi in vasa haerentis, sic et huius cau-
sa proxima distensio est vasorum.

§. XXIII.

Symptomatis inflammationis essentialibus ita explicatis
ad febris inflammatoriae explicationem progredior, ut sympto-
ma inflammationis accidentale.

C

§. XXIV.

§. XXIV.

Dixi §. anteced. febrem esse symptoma accidentale, quia solummodo in inflammationibus occurrit maioris gradus, et hoc facile quoque potest explicari. Omnis febris per principia pathologica, oritur e resistentia, quam sanguis in quadam corporis parte inuenit, ex hac enim resistentia maior congestio sanguinis versus cor oritur, hinc maior motus cordis. Si nunc attendas, causam febris esse resistentiam, facile percipies, febrem oriri non posse in leui sed solummodo in graui inflammatione, nam sub leui inflammatione resistentiae gradus non adest, ut inde tanta versus cor sanguinis congestio oriatur, quae febrem producere possit. Hanc vero resistentiam ex obstructione vasorum procreari extra vulum dubium est. Notum enim ex observationibus est, obstructionem, nisi tollitur, semper accrescere hinc et obstructionem inflammatoriam semper augeri. Porro obseruamus, in initio omnis inflammationis nullam adesse febrem, quia tunc obstructio solummodo est leuis, si obstructio vero ad certum gradum augetur oritur febris.

§. XXV.

Patet itaque ex §. pho. antec. obstructionem esse causam febris inflammatoriae minus remotiorum quam extravasationem

sanguinis in telam cellulofam, quod tamen nonnulli voluerunt, dicentes: Facta cum impetu sanguinis in cellulofam effusione, ea expanditur atque dilatatur, vasaque eam perreptantia gravorem patiuntur compressionem, denegaturque sanguini per illa liber transitus, unde solito maior eiusdem versus cor oritur resistentia, a qua eiusdem vehementior contractio cum pulsu celeri ac frequenti, hinc febris producitur. Lubenter concedo, febrem tali modo oriri posse inflammatoriam, an vero ex his concludere licet causam proximam febris inflammatoriae esse extravasationem sanguinis intelam cellulofam? Minime, sed semper erit et manebit febris causa remotior quam obstructio, quia extravasatio primo producit obstructionem, quod quoque ex iisdem verbis ante adductis probare facile possum. Extravasatum sanguinem dicunt facere compressionem vasorum telam cellulofam perreptantium (quae tamen producit obstructionem per §. 13.) hinc febris. Sequitur itaque ex his extravasationem esse remotiorem febris causam quam obstructiō nem vasorum.

§. XXVI.

De Solutionibus nunc agendum erit. Solui nempe inflammationem deprehendimus per discussionem, per abfcessum, per scirbum, per gangraenam et spbaculum.

XXX.

C 2

§. XXVII.

§. XXVII.

Notio discussionis inuoluit, vt particulae stagnantes rursum in circulum consuetum ducantur. Si ergo fluidum adhuc mobilitate gaudeat, et in casu, vbi extrausatio causa obstructio-
nis est, oscula resorbentia actione sua non destituantur, fieri poterit discussio-

§. XXVIII.

Si vero particulae tenues auferunturo quoad aliquam partem a stagnante sanguine et crassiores sint relictæ, tunc magis fermentatio fiet et pus generabitur. Longe aliam mutatio-
nem sanguis subiret, si particulis tenuioribus haud liberaretur. Et hoc modo soluitur inflammatio per abscessum.

§. XXIX.

Ad solutionem Inflammationis per scirrum quod attinet, ea fieri potest, si fere prorsus auferuntur particulae sanguinis tenues: solis magis adhuc crassioribus et terreis relictis. Ex chemicis enim constat, nullum corpus absque sufficiente quantitate aquae motum fermentatorum concipere posse; si ergo portio aquae dicta sanguini deficiat, nullus motus fermenta-
torius fiet, ergo magis magisque iners, terrea pars inspissabi-
tur, scirrus fiet.

§. XXX.

C A N

§. XXX.

Per gangraenam et sphacelum soluitur inflammatio sequenti modo. Si vasa inflammati iam maxime debilitantur imo fere solui incipient, fit gangraena: summus enim est gradus inflammationis, qui proxime antecedit vasis vibrandi plenariam impotentiam. Adeoque actio vasis in fluidum tollitur, ergo quieticit et motum concipit fermentatorum, quum hic vero desiderentur in sanguine qualitates ad pus bonum efficiendum, putridum fiet fluidum quod vas corrodet. Et tali modo fiet sphacelus.

§. XXXI.

Ex §§phis antecedentibus patet discussionem esse optimam solutionem inflammationis, quia morbus plenarie tollitur, sine producto alio. Non ita bonam esse, quae fit per abscessum, quia destrui oportet partem corporis quandam. Peiores esse per scirrum; quia scirrus pertinacissimus saepe est morbus, periculum inflammationis semper minans, qua interdum inducta in vlcera pessima indolis mutatur. Solutio per gangraenam et sphacelum pessima est, dum necessario destruitur totum, cui inhaeret, membrum cum periculo vitae aegrotantis.

C 3

§. XXXII.

§. XXXII.

Quod ad signa pathognomica attinet; reduci poterunt ad dolorem ardenter, ruborem, calorem in parte affecta non praeteruisa cuticula coerulea in vrina ad latera vasorum praesertim in inflammatione interna.

§. XXXIII.

Prognosticos principium facile erui potest. Attendum erit ad magnitudinem morbi et ad qualitatem partis affectae. Si ergo inflammatio actionem vasorum nondum plenarie fustulit, vel fluidum, etiamsi pars eius iam sit extravasata, adhuc mobile est, tunc discussio speranda, et optima prognosis. In casu contrario mala. Si ergo fluidi mobilitas iam sublata, idque magis spissescit, tunc pro differentia gradus modo scirrus timendus, modo suppurationis. Si vero vasa inflammatione prorsus debilitata sint, vel iam fere soluta, adeoque gangraena adest, tunc facilis putrefactio, ergo sphacelus timendus, adeoque pessima prognosis.

F I N I S.

§. XXXIV.

C

§. XXXV.

SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
C A N D I D A T O
DIGNISSIMO

S. D.

D. ADAMVS NIETZKI.

Tametsi varietate negotiorum, quae aliquod momentum habent, me adeo distractum esse sentio, ut parum temporis mibi supereesse videatur, quod nunc epistolaie laudibus TVIS a me inscribendae impenderi possit; maxime, dum omnia iam sunt in festinatione ad TE Doctoris dignitate exornandum: et etsi tamen mea fore iudicavi, (alias enim in officio erga ciuem gloriosum delinquare viderer) ut ad publicas TIBI applaudentium gratulationes animi quoque mei erga TE honorifica quedam accedat testificatio. Sed varii iam generis adsunt argumenta, ad TE laudandum nunc a me exponenda: quorum alia priuata quasi sunt, ac nemini, praeterquam iis, qui TE penitus norant, valida videbuntur; alia vero magis publica, maiorisque ides pondoris apud omnes, vel saltim plures erunt. Atque huic ultimo argumentorum laudis TVAE generi nunc potius considerando immorabor; utpote quod priore magis aptum esse videtur ad facilius persuadendum. Cedit ideoque TIBI, DOCTISSIME KESSLERE, laudi vel maximae, quod non mori, inter plerosque, qui Medicinæ addiscendae caussa ad academias accedunt,

recepto,



recepto, sed potius veris vitae academicae finibus conuenienter instituere,
prosequi, absoluere cursum studiorum T V O R V M conatus sis. Nam vti ple-
riique eorum, qui ad artem salutarem descendam scholas eam docentium fre-
quentant, contenti esse solent meritis verborum sonis, iisdemque ad aliquam
partem memoriae mandatis, se iam dignos fore existimant, qui habeantur
pro summis in arte magistris; neque ideo amplius quid requiri, quam vt
bonis cum aibus et pennis nido suo majoribus in cathedra (nisi per gratiam
soluantur) compareant, ibidemque per aliquod tempusculum pulchre stent,
ad exemplum statuae cuiusdam bene coloratae: ita laudem eo ampliorem
quisque recte sentientium T I B I attribuet, C A N D I D A T E D I G N I S S I M E,
qui, contentis illis stupidiatis atque arrogantiae stabulis, postpositaque tem-
porum nostrorum nequitia, artis salutaris recte intelligendae omnem ope-
ram dedisti; idem publice disputando saepius probasti; his insuper nouum
diligentiae T V A E ac eruditionis documentum additurus, proprio nimurum
Marte a TE elaboratam dissertationem inaugurelam, eamque sine praeside
publice defendandam. Qua igitur virtute maecte iam esto! Gratulor iam
P R A E S T A N T I S S I M O P A R E N T I T V O, viro artis salutaris exercitio lon-
ge celebratissimo, de tam paeclarae indolis filio! Gratulor singulis paece-
ptoribus T V I S mibique ipsi de auditore tantorum meritorum! Quod super-
est, abs TE peto, vt amicam mei memoriam conserves, satis de mea in TE
amicitia persuasus. Vale, resque T V A S numquam non age feliciter!

Scri. Halae ad Salam Cal. Aug. cI D ccLXVII,

V I R O
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

A. C. K E S S L E R O

AMICO SVO PERQVAM COLENDO

S. D. F.

I O. N I C O L W E I S S E R.

Quam ex iucundissima TVA consuetudine ac amicitia magni aestimanda
preffii, KESSLERE OPTIME PRAESTANTISSIMEQVE, semper percepit
voluptatem, eam TIBI publice declarandi, occasionem audiiflisse me non
exspectasse folum, sed a TE mihi iam oblatam lubentiflisse etiam, et
grato, ut par est, animo arripuisse, velim TIBI persuadeas. Est enim
me hercule TVI singularis in me amoris atque benevolentiae haud insi-
mi ponderis argumentum, quod inauguralem TVAM TVO Ipsius marte
docte nitideque conscriptam dissertationem defensum medicam ascen-
sus cathedram, me elegisti comitem pulcherrimo diftentientis munere a
TE ornatum. Testor itaque TIBI gaudium hocce meum, simulque ho-

noti-



norificam optabilemque Doctoris Medicinae dignitatem toto, vt debo,
in aegrotantium solamen atque emolumentum, inque Optime Veneran-
dique Parentis TVI, Viri de TE deque multorum ciuium suorum salute
bene meriti, ordinisque nostri decoris atque deliciarum, vt et totius
splendidae TVAE familiae gaudium atque honorem per longam anno-
rum seriem saluus fruaris ac incolmis, opto voueoque. TV quoque,
vt me amare pergas, et si par pari referri vis, amore haud vulgari,
oro TE atque obsecro. Ego enim, a quo primum die TE cognoui,
amaui TE semper et quidem amore maximo integerrimoque, quo TE
et in posterum ita amaturum esse, polliceor, vt in TE amando colen-
doque par mihi nemo vnuquam fatus sit. Vale. Dab. die III.
mensis Augusti, clo 10CCLXVII.



AMICO SVO

A. C. K E S S L E R O

S. P. D.

CAROLVS FRIDERICVS LENTNER

M E D . S T V D .

Non parum timenda mentis eorum sterilitas, qui, aude quamuis, hau-
riunt aliorum dicta, non rationes, et in verba magistri iurant, insignem ta-
men exinde gloriam sibi oboriundam vaticinantes. Longe melius rem
TVAM gessisti, AMICE KESSLERE, ingenuus enim, et liber ab auctori-
tatis opinione, constitui apud animum TVVM, veritatem contra dormi-
tantem Homerum defendere, qui recentissimo tempore primus inflammatio-
nis theoriam peruersam tradidit. Gratulor TIBI valdopere coeptum TVVM,
quod et praeclare finietur, vt omnino sperare licet; gratulor TIBI honoris
in arte medica summos, propediem in TE conferendos; gratulor veneran-
do Patri filium bene meritum; et mihi amicum inter paucos dile-
ctum. Vale. Dabam Cal. Augusti c/o ILLXVII.



AMICO SAVO

A Q K L S T E R O

CYROLAE LIBERICIAZ ET ALTHEI

ET ALTHEI LIBERICIAZ ET ALTHEI

Diss. med. Halle,
Med. Diss.,
6 1758-68.



SB

Rheo



DE

INFLAMMATIONE SANGVINEA SIVE VERA PATHOLOGICE CONSIDERATA

DIE IV. AVGVSTI CICLOCCCLXVII
1768

PRO CAPESSENDO

IN ARTE SALVTARI

DOCTORIS GRADV

PUBLIGE DISSERET

AVGVSTVS CAROLVS KESSLER

MAGDEBURGENSIS.



HALAE MAGDEBURGICAE

STANNO CVRTIANO.

